partem inclinandum. Quæ ratio militat omnino in his verbis, *anathema sit*: imò clariora sunt illa, *excommunicatus sit*. Quamvis fatear hæc verba: *anathema sit*, posita in Decretis Conciliorum determinantibus pertinentia ad fidem importare hæreticum esse sentire contra eam determinationem. Præterea esto dicamus importare excommunicationem latam, intelligendum est, nisi proferantur in materia, in qua constat ex aliis textibus non imponi excommunicationem latam, sed ferendam. Quod ex multis probavi *ea disputatione 12. num. 2.* & ultra *ibi* citatos tenent *Navarrus eodem cap. 27. num. 12. Suarez eodem cap. 19. num. 4.* Quod in hoc casu contingit. Sunt enim multa alia jura declarantia hanc sententiam esse ferendam. Ut *cap. 2. & 3. & cap. Non oportet 26. q. 5.* Et quamvis *Suarez eo cap. 19. num. 5.* dicat hanc solutionem non sibi satisfacere, quia hi textus sunt antiquiores: at hoc non obstat: nec enim absurdum est decreta posteriora dubia explicari per priora. Ut probavi *lib. 2. de matrimonio, disputatione 24. nu. 6.* Et Extravagans Joannis XXII. non est sufficienter promulgata, ut cum effectum operetur. Ut benè ait *Suarez eodem c. 19. n. 6.* Et ideò pro hac sententia sunt *Alensis 2. p. q. 164. membro 5. & Sylvester verbo Superstitio, q. ultima*, ubi dicunt hos excommunicandos esse. Et expresè tenent *Suarez eo c. 19. n. 5. & 6. Azor. t. 1. instit. moralium, l. 9. c. 26. q. 3. Leonardus l. 2. de justitia c. 13. dub. 5. n. 29.*

92 Atque attento jure veteri inquisitores cognoscebant adversùs solos divinatores mitcentes aliquid hæresis. Constat ex *cap. Accusatus, §. Licet, de hæreticis, in 6.* At hodie attento motu proprio Sixti V. contra astrologos, possunt & ordinarii, & inquisitores inquirere, & animadvertere in omnes superstitiosam quamvis divinandi artem exercentes, profitentes, discentes, docentes, & divinationibus vanis utentes, aut in eis se quomodolibet ingerentes. Ut constat ex eius tenore. Et docent *Azor. tom. 1. instit. moralium, l. 9. capit. 26. quæst. 4. Suarez eodem cap. 19. num. 11.* Contentio verò aliarum superstitionum, in quibus est suspicio hæresis ob expressum cum dæmone pactum, vel ob alias circumstantias, pertinet ad Inquisitores: quando verò nulla est hæresis suspicio, est mixti fori, nempe, judicis Ecclesiastici, & laici, & datur præventio. Ut cum *Abbate* & aliis, tenent *Julius Clarus lib. 5. receptarum, §. Hæresis, nu. 25. Suarez eodem n. 11.*

93 Insuper libros omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Pyromantiæ, Oenomantiæ, & quibus continetur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, interdicuntur in indice librorum prohibitorum edito jussu *Tridentini regula 9.* Et Sixtus V. in eo motu proprio jubet eos tradi Ordinariis, aut Inquisitoribus & ut possint Inquisitores punire tenentes, vel legentes eos.

94 Demum dubitatur, an hi astrologi, & divinatores, teneantur pretium pro divinatione acceptum restituere? Primo dico, eos ab omni restituendi obligatione liberos esse, quoties ea naturalia prædicunt, ad quæ scientia se extendit. Ut si eclypsim, pluvias, &c. prænuntient, etsi postea effectus non sequatur. Quia fide id, ad quod eorum scientia se extendit, prænuntiarunt. Sicut medicus non tenetur curationis stipendium restituere, eò quòd æger obeat. Ita *Navarr. lib. secundo de restit. c. 2. p. 1. dub. 7. in nova editione n. 161. & 162.*

95 Secundò dico, si de re in particulari judicent, quæ per suam artem sciri nequit, ut quis furtum fecerit, vel alium actum liberum prænuntient, teneri aliquid spirituale restituere, nempe, dedocere superstitiosam doctrinam: intelligo, si alius credidit sciri posse id per artem, aut jam alias non sit errore liberatus, & quando hi astrologi ea falsa doctrina eum imbuunt. Tenentur insuper damna subsecuta ex suo judicio restituere. Ut si alius spe illius divinationis fretus expensas fecit, aut damnum aliud passus est. Quia hi injusta illorum causa fuere. Sicut medicus profitens se liberaturum ægrum morbo, quem immedicabilem novit tenetur expensas refarcire. Ita *Navarr. ibi n. 162. & 153.* Intelligo cum limitatione, quam *n. seq. in fine* apponam.

96 Quòd si loquamur de pretio accepto pro hoc judicio ferendo, *Gratianus c. qui habetis 14. qu. 5.* docet pauperibus restituendum, tamquam turpe lucrum. Sed distinguendum est. Si nullam operam apposuit, ut arte diaboli id sciret astrologus ille, quod nullo alio pacto sciri potuit: sive effectus evenerit, sive non, tenetur pretium restituere danti. Quia nullam diligentiam adhibuit, sed casu effectus evenit, aut non evenit. At pecunia datur propter operam ab illo impensam, & quidem utilem ad effectum consequendum. Sicut si medicinæ prorsùs ignarus, aut inutilia ægro applicaret, teneretur pretium curationis ægro restituere, quamvis casu liberà morbo evaserit. Et quamvis consulens astrologum in ea deliquerit, offerens pretium pro re turpi, verior sententia habet restituendum ipsi, donec per sententiam condemnetur, ut id pretium amittat. Si vero astrologus ille, vel divinator operam suam apposuit, & arte diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere. Quia ipse suam operam etsi turpem apposuit; & acceptum pro opere turpi, non est obnoxium restitutioni. Juxta veriorem sententiam. Atque hæc omnia docent *Nav. ibidem, n. 163. & 164. & Manuel. 1. summa 2. editione c. 7. n. 4. Sal. 1. 2. q. 9. art. 5. tractat. 5. disp. 2. sect. 8. n. 79. in fine.* Adduntque indistinctè teneri pretium restituere, quando res non ita evenit. Sed id non credo, quando ipse diligentiam adhibuit arte diaboli ad eum effectum necessariam. Sicut medicus quando juxta artis præcepta medicatus est, non tenetur pretium restituere ægro pereunti. Quia ea diligentia à mago illo apposita est pretio æstimabilis. Nec in hoc casu tenetur damna, & expensas consulenti restituere: sed tantùm quando nullam operam impendit, aut ejus diabolicæ artis ignarus erat. Et ita limitandum est quod *n. præced.* diximus. Quia quando operam suam impendit, non decepit.

## CAPUT XXXIX.

### De divinatione per duellum. Et quando duellum licitum sit; & quibus pœnis illicitum subdatur?

#### SUMMARIUM.

*Duellum quid sit? Et quotupliciter sumatur? n. 1.*
*An sit ita ex genere malum, ut numquam liceat? n. 2.*
*An duellum ad eruendam veritatem sit semper illicitum? nu. 3.*
*An innocenti damnato ad mortem, nisi duellum acceptet, liceat acceptare? n. 4.*
*An oblatum duellum ad eruendam veritatem, quando offerens vult aliàs provocatum interficere, liceat acceptare? n. 5.*
*An causa terminanda litis criminalis, sive civilis, id liceat? num. 6.*
*An liceat duellum, atque actorem ipsum prævenire illum necando, quando injustè coram judice auferre molitur vitam, res familiares, aut honorem innocentis? n. 7.*
*An od defendendam propriam vitam liceat duellum oblatum acceptare? n. 8.*
*An liceat ad tuendum honorem, qui amittitur respuendo duellum oblatum? n. 9.*
*Quid tunc liceat provocato ad duellum respondere? n. 10.*
*An vocato ab homine irato liceat exire, quando suspicatur vocari se ad duellum? n. 11.*
*Quando sit licitum duellum inter milites utriusque factionis in bello? n. 12. 13. & 14.*
*An liceat duellum vindicativum, aut defensivum, publicâ auctoritate indictum? num. 15.*
*An liceat aliquando bellum resolvere in duellum? n. 16.*
*An in casibus, in quibus licet duellum, fas sit acceptare eam conditionem, ut nullus ex circumstantibus opem ferat alicui ex pugnantibus? n. 17.*
*Post n. 17. invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUo in hoc capite tractanda sunt. Prius est, Quando duellum liceat. Posterius est, de pœnis duelli illiciti. Duellum, quod Græcè Menomachia dicitur, est singulare duorum certamen initum ad eruendam alicujus rei veritatem, vel ad purgationem inducendam. Quotiescumque enim criminis, seu cujuscumque alterius juris probatio obscura erat, vel actor ream provocabat, vel reus ipse offerebat se, aut suo loco alium ad duellum, hoc modo, ut qui se sic probaturum, purgaturumve aliquid obtulerit, si vicerit, probasse, vel purgatus esse credatur. Sin autem succubuerit, defecisse in probatione, vel objecti criminis convictus esse putetur. Quare duellum propriè non est quodlibet duorum certamen, sed quando suscipitur ad veritatis indaginem, & ut victoria testetur victorem esse innocentem, vel habere jus in lite intenta. Ut docent *Nicolaus de Lyra 1. Reg. cap. 17. in ea verba. Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, Henricus quodlibeto 9. q. 23. Cajet. 2. 2. qu. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. versic. Ad evidentiam hujus, Sylvest. verbo Duellum, in initio, Delrius lib. 4. disquis. magic. c. 4. q. 4. sectione 4.* Unde ajunt *Henricus, & Sylv.* citato *Rainerio* duellum ab aliquibus appellari judicium, eò quòd ibi judicium Dei expectetur. At large, & generaliter ait *Sylvest.* sumi duellum pro quovis duorum certamine ab utraque parte sponte inito.

2 Duellum autem ita generaliter sumptum non est ita ex genere suo malum, quin in aliquibus casibus ob justas causas licitum sit. Quare ex ipsius duelli causa est perpendendum an liceat, nec ne. Ut optimè docet *Cajet. n. præced.* allegatus.

3 Sex ergo sunt causæ, ad quas duellum ordinari potest, ex quarum animadversione ejus honestas deducenda est. De quibus sigillatim agendum est. Prima est, ut per victoriæ eventum eruatur veritas, & justitia alterius partis. Et tale certamen vocatur propriè duellum. Ut dixi *nu. 1.*, & computatur inter purgationes vulgares, & damnatur ab Ecclesia *c. Menomachiam 2. q. 5. & c. 1. & 2. de purgat. vulgari.* Et tamquam superstitiosum damnat *D. Thomas* ab omnibus receptus *2. 2. q. 95. ar. 8. ad 3. ubi & Cajetan. & Henricus quodlib. 9. q. 32.* optimè ajunt hujusmodi duellum indicere, vel acceptare, esse ex genere suo malum instar mendacii. Quia propria ratione repugnantiam cum recta ratione includit. Quippe in testimonium proprii juris, aut innocentiæ, assumitur id, quod non est mendacium aptum ad eum finem. Cum quandoque justam causam tuentes succumbere in duello accidat. Ut dicitur *c. 2. de purgat. vulg.*

4 Hinc deducitur resolutio ejus quæstionis, si quis innocens ab iniquo judice damnaretur, ut vel in duello pugnaret, quò se ab objecto crimine purget, vel mortem subeat, an liceat ei acceptare duellum? Et non licere affirmant *Hostiens. Goffredus, Supplementum, Rosella*, quos refert, & sequitur *Sylv. verbo Duellum qu. 2. Henric. quodlib. 5. qu. 32. Abulensis 1. Reg. cap. 17. quæst. ultima, D. Vinton. 3. p. tit. 4. cap. ultimo §. ultimo, Tabienæ verbo Duellum, quæst. 3. num. 4. & ibi Armilla, num. 5.* & potest probari. Quia duellum causa eruendæ veritatis est intrinsecè malum, Ut diximus *numero præced.* Deinde quia innocens ille injuriam minimè patitur ab eo, cum quo pugnaturus est, sed à judice. Non ergo ei licet acceptare duellum cum eo tertio verè innocente, ac ejus vitam periculo exponere. Alii verò id esse licitum affirmant. Ita *Angelus verbo Duellum, num. 2. Toledo lib. 5. summa c. 6. num. 32. Navarra lib. 2. de restitut. cap. 3. in 2. part. dub. 13. in nova editione, num. 295.* Et videtur approbare *Cajetan. 2. 2. qu. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. statim in principio*: refert enim quosdam sentire id licere, & non improbat. Et *Valentia* dicit non esse improbabile *2. 2. disputat. 3. quæst. 17. puncto 1. column. 3. versic. Ponunt etiam.* Et reddit rationem, quia etsi innocens non patiatur injuriam ab illo tertio, cum quo ei offertur duellum, sed à judice. At videtur, habere tunc jus, ut adversùs judicis injuriam nitatur per incertum duelli periculum, evadere certam alioquin mortem, etiam cum tertii detrimento. Quando quidem plus se ipsum, quàm illum in eo casu diligere potest: eò vel maxime quòd iniquus judex tertio illo tamquam instrumento utatur ad exequendam iniqui sententiam, quo ad unam ejus partem. Et hanc partem probabiliorem sentio, non acceptante innocente duellum, ea prava intentione, qua offert judex, sed solùm intentione se defendendi, & ut mortem certam acceptato periculoso duello evadat. Quare ea potiùs est defensio. Ut dicemus *n. 6.* Quippe illud acceptare intentione veritatis eruendæ est intrinsecè malum, instar mendacii: ac proinde numquam licet.

3 Secundo deducitur, si quis suspicans quemdam adulterium commisisse cum sua uxore, aut alia iniuria ipsum afficisse, eum ad duellum provocare causa veritatis indagandæ, minimè licere huic provocato illud acceptare. Quia est intrinsecè malum, & quia sponte acceptat. Si tamen provocans invaderet ipsum, vel aliàs eum necare vellet: liceret huic provocato pugnare se defendendo. Quia non pugnaret quasi conditionem oblatam acceptans, sed se ab iniquo invasore defendens. Ut optimè ait *Abulensis 1. Regum, c. 17. q. ultima.*

6 Secunda causa acceptandi duelli est ad terminandam litem criminalem, aut civilem. Et tunc licere ob tuendam vitam, vel res defendendas, asserit *Nicolaus de Lyra n. 1.* alleg. Verùm ob hanc causam non licere asserunt omnes Doctores *n. sequenti* referendi; & ita tenendum est. Quia duellum non est medium aptum ad terminandam litem.

7 Dubium autem est, an liceat innocenti id duellum acceptare, sive offerre, quando certum est fore, ut actor per fraudem in judicio ipsum opprimat, & ejus injustam condemnationem impetret? Quidam neutrum licere ajunt. Quòd sui defensor ille solus cicatur, qui invitus ad pugnam ab aggressore cogitur. At hic etiam ad duellum provocatus, id sponte acceptat. Quamobrem non tamquam sui defensor excusandus est, sed tamquam invasor condemnandus. Ita docent *Abulensis 1. Regum cap. 17. quæstion. ultima, Salon. 2. 2. quæst. 64. art. 3. controvers. 3.* Aliis placet licere, quando certum est innocentem damnandum ad mortem mutilationemve: secùs in aliis casibus. Prius probant, quia id est subire minus malum, nempe, dubiæ mortis, aut mutilationis periculum, ad evertendum ea damna certò ab adversarii injuriam subeunda. Nec hoc est duellum vere, sed defensio contra invadentem. Non enim re ipsa differt velle occidere proprio gladio, aut alieno. Posterius probat *Cajetan.* statim allegand. Quod defensio armis non liceat nisi contra invadentem armis. Ita sustinent *Cajet. 2. 2. quæst. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. in 4. causa, & in summa, verbo Duellum, Navarr. summa Latina, & Hispana cap. 11. num. 39. & cap. 15. numer. 9. Valentia 2. 2. disp. 3. qu. 27. puncto 1. column. 2. vers. Est autem assertio, & versic. Talis autem casus: & in quarta causa acceptandi duelli.* Et *Cajetanus* de sola duelli ab actore oblati acceptatione loquitur: de provocatione autem facta per innocentem ad illud nil dicit. At *Valentia* de utroque loquitur, & dicit utrumque innocenti illi licere. Quia ut ait *ipsemet eod. puncto 1. col. 5. vers. Nec secundò* ejusdem rationis sunt ad duellum provocare, & illud acceptare, quoties causæ necessariæ defensionis utrumque sit. Atque limitat solus *Cajet.* dummodo duellum illud de consensu principis ineatur. Sed meliùs alii dicunt licere huic innocenti duellum ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omninò injustè, & per calumniam actorem procedere: & certum omninò est fore, ut innocens hæc amittat: nec aliud sibi evadendi remedium suppetat. Quia si hoc duellum rationem defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ induit, ut Doctores secundæ sententiæ fatentur, ea defensio contra invasorem est licita, & pro vita, & pro honore, & pro rebus etiam tuendis. Et ita hanc sententiam tenent *Bannez 2. 2. 64. ar. 7. dubio 4. corpore, & in solutione ad 2. Manuel. 1. tomo summa, in 2. editione, c. 73. n. 1. Navarra lib. 2. de restit. c. 3. in 2. part. dub. 13. in nova editione n. 289. & 290.* ubi merito recitat limitationem *Cajet.* petentis consensum principis. Nam defensio jure ipso naturali absque alicujus licentia conceditur. Atque optimè *Bannez* ait licere innocenti in his casibus acceptare, & offerre duellum, ob rationem traditam: imò & non provocando ad duellum, interficere occultè actorem illum calumniosum. Cum hæc occisio sit vera defensio. Imò benè *Nav. eo n. 290.* ait teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere: si potest occultè illum occidendo, id vitæ, honoris, rerum familiarum periculum evadere. Quippe sic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis aut acceptantis duellum.





8 Tertia causa est defensio vitæ propriæ. Et ob hanc causam non licet sponte duellum acceptare. Quia etsi liceat vim vi repellere, se ab invasore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit: at hoc non est duellum: sed quando ex conditio sponte indicitur, aut acceptatur certamen. Quod non est vitam defendere, sed eam periculo exponere, Ita *Cajetan. eod. art. 8. ad finem, Valentia dicto puncto 1. ad finem.*

9 Quarta causa est defensio proprii honoris. Quia si vir nobilis, aut miles provocatus ad duellum, id respuat; non modicam honoris jacturam facit. Atque ideò provocans videtur invasor ad honorem provocati auferendum. At quando honori aliter consuli nequit, nisi invasorem occidendo, licet utique occidere: nedum acceptare duellum, in quo neutrius mors certa est. Et confirmatur, nam invaso fas est invasorem perimere, ut honorem tencatur; quando fuga sibi ignominiosa posset tueri vitam. At major ignominia est duellum oblatum respuere. Atque ita tenent aliqui id licere, ut refert *Bannez 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3.* At dicendum est, hanc non esse justam acceptandi duelli causam, sed esse culpam mortalem acceptare. Ducor, quia etsi apud vulgares, & improbos id ignominiæ tribuatur: tamen apud sapientes, & probos, id honori adscribetur, quando gratia divinæ legis servandæ duellum oblatum respuitur. Quod falsæ vulgi opinioni præponderat. Quare non est simile de fuga, dum aliquis invadit: ea enim militiam profitenti reputatur ignominiosa, etiam apud probos, & sapientes. Præterea quia si ob defendendum honorem liceret acceptare duellum, id quoque ob eamdem rationem indicere liceret: quando ad tuendum honorem esset, ut contingit, quando quispiam injuriam passus est. Quippe utrumque est ejusdem rationis, ut *n. 7.* diximus. At nullus fas esse indicere admitter. Tandem quia etiam apud mundanos satis consulet suo honori provocatus hic respondendo eo modo, quem *n. sequenti* explicabimus. Atque ita docent *Cajetan. 2. 2. q. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. in casu 3. & in summa, verbo Duellum, ubi Armilla, n. 1. Sotus l. 5. de just. qu. 1. a. 8. ad finem corporis, versic. Quod si hinc quispiam, Azevedo l. 8. recopil. tit. 8. l. 10. n. 28. Navar. l. 2. de restit. c. 3. in 2. p. dub. 13. in nova editione n. 286. Bannez 2. 2. q. 40. ar. 1. in fine, & q. 64. ar. 7. dub. 3. in solutione ad 3. Valentia 2. 2. disp. 3. q. 17. puncto 1. in 2. causa, Petrus de Ledesma 2. t. summa tractatu 8. c. 18. post 9. conclusionem, difficult. 4. Manuel. 1. t. summa in 2. editione c. 73. n. 1. Abulensis 1. Regum c. 17. q. ultima, Salon 2. 2. q. 64. ar. 3. controversia 3.* Et clarè sentit *Nav. summa Latina, & Hispana c. 11. n. 39.* dicit enim in solis duobus casibus licitum esse duellum: at neuter est hic.

16 Licebit tamen provocato ad duellum, sic respondere provocanti. *Paratus sum ad me defendendum, quandocumque me invaseris, nolo tamen duellum acceptare, eo quod legi divinæ adversetur.* Quia paratum esse ad defendendum vacat culpa. Ita *Bannez utroque loco, Valentia n. præced.* alleg.

11 Sed numquid, si quis iratus quempiam vocat dicens se velle illum paucis seorsum convenire, liceat huic exire? Sic distinguendum est, si vocatus sit moraliter certus, se ad duellum vocari, non licet: at non tenebitur domi ita manere, ut nequeat egredi, quoties opportunum sibi fuerit ad sua negotia pertractanda. At egredi licebit, si credat fore, ut iratus blandis verbis placetur. Ita *Bannez illo art. 7. dub. 3. in solut. ad 3.*

12 Quinta causa duelli acceptandi est inter milites utriusq; factionis in bello, quando ex consensu ducum, spectaculi, & voluptatis causa, vel ad robur militum ostendendum illud initur. Et hæc non est justa. Quia nefas est medium tam periculosum, & atrox, ob tam vanum finem suscipere. Et sicut pro his solis causis bellum suscipere non licet, sic nec duellum. Ita docent *Cajet. 2. 2. q. 95. ar. 8. circa solutionem ad 3. in 2. causa, & in summa, verbo Duellum, ubi Armilla n. 1. Nav. summa Latina c. 15. in fine, Delrius l. 4. disquisit. magic. c. 4. q. 4. sect. 2. ad finem, Valentia dicto puncto 1. in causa 5. & 6. Manuel. 1. t. summa, in 2. editione c. 73. n. 2. Nav. l. 2. de rest. c. 3. in 2. p. dubio 13. in nova editione, n. 296.*

13 Negandum tamen non est, licere in bello justo hæc privata duella inter singulos, aut paucos milites ex utraque parte, quando opportunè instituerentur ad debilitandas hostium vires, eorumque animos frangendos, experiendo militum contrariæ factionis robur. Quòd non exiguus victoriæ comparandæ fructus inde speretur. Quod satis significat *Cajet. in summa, verbo Duellum*, reddit enim rationem, cur in casu præcedenti id bellum non liceat: quòd non ad hostium robur minuendum ordinetur, sed ad vanam ostentationem. Atque ita docent *Menchaca in controversiis illustribus, l. 1. cap. 48. n. 18. Azevedo l. 8. recopil. tit. 8. l. 10. n. 6. Valent. n. prac.* alleg.

14 Quare liceret hujusmodi certamina ab hostibus oblata acceptare, non principaliter ob vanam fortitudinis ostentationem, sed principaliter gratia conservandæ bonæ existimationis exercitus apud hostes. Quia ea non parum momenti ad victoriam habet. Et si non acceptarentur, redderentur ani-

animosiores hostes existimando nostro præ timore id certamen effugere. Ita docent *Navarrus*, *Valentia*, *Manuel.*, *Navarra* allegati *num.* 12. Quos intelligo, etsi hostes causa solius spectaculi, & voluptatis, id certamen offerrent: liceret enim id acceptare, non principaliter ob eum finem, sed propter finem dictum.

15 Ultima causa est, quando auctoritate publica indicitur duellum vindicativum, ad illatam patriæ injuriam vindicandam: aut defensivum patriæ. Sed quamvis ex his causis dicendum sit bellum licere: duellum tamen est illicitum. Ratio est, quia vindicativum non licet, eò quòd qui auctoritate publica injuriam vindicat, debet esse velut agens respectu puniendi. Quare instar agentis naturalis debet esse multò fortior, ita ut quasi certa sit victoria. Quod in singulari certamine non reperitur: quia vel par est utrusque conditio, vel multa possunt, ac solent accidere, ut is etiam, qui valentior videtur, succumbat. Non etiam licet defensivum. Quippe etiam in defensivo imitari oportet agentia naturalia, in quantum fieri potest, quæ meliori, & efficaciori modo possibili contrariis resistunt. At est inefficax, & debilis resistendi per unum modus, quem facillimè contingit vinci. Quare iniquè communis defensio uni commissa ei periculo exponeretur. Ita *Cajet. d. articul.* 8. *circa solutionem ad* 3. *in causa* 3. *Valentia dicto puncto primo causa prima.*

16 Quamvis tamen hoc regulariter illicitum sit, aliquando licebit bellum resolvere in duellum, inito pacto inter utramque factionem, ut causa per prælium decidenda paucis utrimque pugnaturis, aut duobus decidenda committatur, ita ut ejus partis sit victoria, cujus milites vicerint. Quod quidem eo casu licebit, quo princeps bellum justum gerens videt se viribus destitutum ad bellum commune, & fore ut eo indicto succumbat: & si duello rem terminandam committat, est victoriæ spes. Tunc enim prudenter agit transferens ruinam ferè certam in victoriæ spem. Atq; id duellum loco belli justi succedit. Ita *Cajetanus d. art.* 8. *circa solutionem ad* 3. *in* 3. *causa, & summa, verbo Duellum, ubi Armilla n.* 1. *Emmanuel Sà n.* 1, *Nav. summa Latina, & Hispana c.* 11. *n.* 39. *& c.* 15. *n.* 9. *Menchaca in controvers. illustribus, l.* 1. *c.* 48. *n.* 19. *Azevedo n.* 13. allegatus, *Delrius, & Navarr. n.* 294. alleg. *n.* 12. *Valentia dicto puncto* 1. *column.* 3. *versic. Talis autem casus.* Addunt benè *Cajet. ea* 5. *causa, & Valentia ibidem* non solùm in hoc casu licere acceptare duellum oblatum, sed & illud offerre. Quia id non est adversarios injustè pugnaturos inducere ad malum, sed eas à majori malo avertere, quale est bellum commune.

17 Tandem dubitatur, an in iis casibus, in quibus duella licent, fas sit eam conditionem apponere, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat? Videtur enim esse contra charitatem succumbenti non subvenire; utpote qui in extremo vitæ periculo est, nisi illi succurratur. Sed benè *Navarr. lib.* 2. *de rest. c.* 13. *in p. dubio* 13. *in nova editione n. ultimo*, sic quæstionem hanc resolvit. Si duellum sit ob defensionem vitæ, vel rerum innocentis, & adhuc volens injustè vexare nolit desistere, licitum est eam conditionem acceptare. Et circumstantes tenentur illi succumbenti non opem ferre. Quòd ex parte illius bellum injustum sit, esseque peccato injustitiæ cooperari. Quòd si innocens succumbat, tenentur ibi subvenire: Quia ex parte illius est injusta conditio. Quando verò duellum est illicitum, illicita quoque est conditio. Cum potiùs impedire utramque partem oporteat. Hactenus *Navarra*. Sed nil dixit de hac conditione apposita, quando bellum commune resolvitur in duellum ex pacto, juxta dicta *n. praced.* At tunc credo etiam ea conditione non expressa, semper enim in eo pacto tacitè includitur, neutrius factionis militi succumbenti teneri succurrere circumstantes, imò teneri non succurrere. Quia etsi ex parte injustè bellantium ea conditio iniqua sit; at bonum commune, quod in omnibus præferendum est, postulat fidem hostibus servari: & maximè in rebus ad bellum attinentibus.

## De pœnis duelli illiciti.

### SUMMARIUM.

*An clericus ad duellum provocans, vel acceptans, sit suspensus? num.* 18.
*Refertur pœna in* Tridentino, *& in* motu proprio Pii IV. *contenta adversùs duella, n.* 19.
*Contenta in* motu proprio Gregorii XIII. *n.* 20.
*Contenta in* motu proprio Clementis VIII. *n.* 21.
*An solum duellum solemne subdatur his pœnis? n.* 22.
*An solum indictum causa eruendæ veritatis? Refertur quædam sententia, n.* 23.
*Sententia Auctoris? n.* 24.
*An excommunicatio sit lata in* Tridentino *contra omnes personas in eo decreto contentas? Refertur quædam sententia? num.* 25.
*Opinio Auctoris? n.* 26.
*An hac excommunicatio sit reservata? n.* 27.
*An incurrant has pœnas qui dicunt*, Veni ad talem locum, *vel* ibi te expecto: *aut alio modo se ad pugnam provocant? num.* 28.
*An incurrant principes concedentes duella inter infideles, vel inter fidelem, & infidelem? num.* 29.
*Quid si inter Christianos permittant duellum ad vitandum majus malum? n.* 30.
*Qui spectatores duelli, & qui socii incurrant? n.* 31.
*An inhabilitas ad beneficia, & alia pœna contenta in* Tridentino, *& aliis* motibus propriis *incurrantur ante sententiam? num.* 32.

18 EGimus de duello quando sit illicitum. Jam de ejus pœnis agendum est. Et quidem jure communi antiquo clericus provocans ad duellum, illudve acceptans, est suspensus, juxta aliquorum sententiam. Et probant ex *c.* 1. *de clericis pugnantib. in duello*. Quamvis enim textus dicat hunc meritò deponi debere, ac proinde non videatur suspensio lata, sed ferenda. At statim subjungit posse Episcopum dispensare, nisi mors, aut mutilatio subsecuta sit: in quibus verbis suspensio lata importatur: aliàs non esset, in quo Episcopus dispensaret. Ita sentiunt *Angelus verbo Suspensio* 1. *nu.* 12. *Sylvest. verbo Suspensio, qu.* 6. *casu* 11. *& ibi Tabiena quæst.* 6. *num.* 7. *casu* 10. At verius est eum non esse suspensum, sed suspendendum. Quòd docent *Navarr. num.* 23. *Salzedo in practicam Bernardi Diaz capit.* 100. *in initio*, *Suarez.* 5. *tome in* 3. *part. disput.* 31. *sect.* 4. *num.* 48. *Manuel.* 1. *tomo summa* 2. *editione cap.* 73. *in fine*. Quia textus dicit meritò eum clericum deponi debere, idest suspendi. Ut intelligunt omnes Auctores citati, & specialiter *Suarez*. Quod denotant verba sequentia concedendo Episcopo dispensationem. Cum vix Pontifex cum deposito dispenset. Nec ea verba arguunt suspensionem esse latam. Quia sensus est, concedi Episcopo dispensationem, postquam clericus ille per sententia suspensus fuerit. Advertit etiam benè *Suarez ibi*, non satis esse provocationem ad duellum, illiusve acceptionem, ut clericus hic suspendendus sit, nisi pugna sequatur. Id enim supponit textus in illis verbis, *Sive victor, sive victus fueris*. Intelligitur etiam, quando clericus sponte acceptat duellum. Ut docent *Abbas eo cap.* 1. *statim in principio, notabili* 2. *Bernardus Diaz eo cap.* 100. *in fine*. At meliùs *Salzedo ibi, in fine, & Petrus Foller. per ipsum* allegatus, *& Manuel. dict. capit.* 73. *in fine*, dicunt adhuc esse suspendendum. Quia cum duellum statum clerici dedeceat, nulla necessitate ad id acceptandum cogi potest: nisi quando alter ipsum necandum invaderet. Et tunc non est duellum, sed defensio.

19 Jure autem novo variæ sunt statutæ pœnæ contra acceptantes duella. Nam *Tridentinum sessione* 25. *de reform. c.* 19. excommunicat Imperatores, Reges, ac quoscumque temporales Dominos, qui locum ad duellum, seu menomachiam, in suis terris inter Christianos concesserint, ac ipso in duello pugnantes, & pugnantium spectatores, ac patrinos, & consilium dantes tam in jure, quàm in facto in causa duelli, aut alia quamcumque ratione ad id suadentes. Insuper Imperatores, aliosve Dominos locum ad duellum concedentes, privat dominio, ac jurisdictione territorii, in quo duellum concedunt, si illud obtinetur ab Ecclesia: & dominio directo, si sit feudum. Et ita si loca sint Ecclesiæ, redeunt ad ipsam: si verò feudalia, ad dominos. Insuper pugnantes, & patrinos punit etiam bonorum proscriptione, ac perpetua infamia. Et morientes in eo conflictu privat Ecclesiastica sepultura. Postea autem Pius IV. in motu proprio edito anno 3560. excommunicavit omnes Principes, & domicellos permittentes in suis locis duellum, aut singularia certamina fieri: aut diffidationes facientes, ac id invitantes, procurantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque adstantes, & interessentes, & chartas subscribentes, & publicantes, seu de illis se intromittentes. Et omnes hos, si laici fuerint, Imperatore, & Rege inferiores, excommunicat: & clericos ultra excommunicationem punit, ut privationem omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatemque ad illa, & ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrant: & omnes prædicti à solo Papa absolvi possint.

2 Postea Gregorius XIII. in quodam motu proprio, anno 1582. incipiente, *Ad tollendam*, extendit idem decretum ad duella privata, statuisque ut omnes, qui ex conditio, statuto tempore, & in loco convento menomachiam, seu duellum commiserint, etiamsi absque patrinis, & etiamsi nullæ provocatoriæ litteræ missæ sint, & absque aliis usitatis cæremoniis id efficiant, eadem excommunicatione, & pœnis in Tridentino contentis ligentur. Et similiter statuit eidem excommunicationi, & pœnis subjacere dominos locorum hæc privata duella permittentes, aut quantum in se fuerit, non prohibentes, & omnes mandantes, instigantes, auxilium, consiliumve dantes, equum, arma, pecuniam, comitatum, & alia subsidia scienter subministrantes, & ex proposito spectatores, aut socios se præbentes, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit quominus illa committatur.

21 Tandem Clemens VIII. anno 1592. edidit alium motum proprium incipientem, *Illius vices*, cujus summam refert *Sayro in thesauro casuum*, *tomo* 1. *lib.* 3. *cap.* 31. *nu.* 21. *& triplici sequenti*, ubi confirmat Tridentini decretum, & motus proprios Pii IV. & Gregor. XIII. contra duela, & deinde explicat in particulari personas, quæ illas pœnas incurrunt; & actiones, ob quas incurruntur. Ut potest ibi latè videri. Et tandem excommunicat omnes singulares personas horum delictorum reas, & si in ipso conflictu obierint, privat Ecclesiastica sepultura. Civitate verò, terras, oppida, vel castra, & loca, in quorum territoriis id facinus scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus dominis, aut magistratibus, vel senatu, aut populo, admissum fuerit, interdicto Ecclesiastico supponit: & reservat relaxationem interdicti, & absolutionem excommunicationis Papæ, ita ut nullus alius relaxare valeat vel absolvere prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibusvis, tam Ecclesiasticis cujuscumque ordinis, ac militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præminentia insignitis per Sedem Apostolicam in genere, vel specie concessorum.



22 Ex his constat decretum Tridentini de solo duello solemni, quod auctoritate publica, & patrinis inibatur, locutum fuisse. Ut ex tenore ipsius decreti constat. Atque ita illud videtur intellexisse Gregorius XIII. ut constat ex verbo, quo utitur, id extendens ad duella privata, nempe, *statuimus*. Quod est signum novæ legis, juxta *Glossam* communiter receptam *Clem. finali, verbo Statuimus de rescript.* Et ita docent *Navarr. lib.* 5. *consil. in utraque editione, tit. de purgat. vulgari, consil.* 2. *ad finem, Suarez.* 5. *t. in* 3. *p. disp.* 23. *sect. ultima, n.* 11. Quamvis *Enriquez. l.* 13. *de excommun. c.* 39. *n.* 3. *in commento, lit.* Y. dicat etiam de privato duello locutum, & ita explicuisse Cardinales. At jam Greg. XIII. & Clem. VIII. id ad privata duella extenderunt, ut vidimus duplici *num. praced.*

23 Sed difficultas est, an decretum Tridentini, & motus proprii relati intelligantur de solo duello propriè sumpto, quod initur causa veritatis alicujus eruendæ, ut diximus *n.* 1., an etiam de inito ad vindictam sumendam, vel ob quamvis aliam causam? Et videtur de solo priori duello loqui. Quia utuntur solis dictionibus, *duellum*, *monomachia*: quæ propriè solum certamen causa veritatis eruendæ important, ut *n.* 1. diximus. Et cum decreta sint pœnalia, & rigidissima, non videntur ultra propriam vocum significationem extendenda. Huic sententiæ satis favet *Nicol. de Lyra in id.* 1. *Regum* 17. *Audita sunt autem verba*, ubi ait omnia jura prohibentia duellum loqui de duello propriè sumpto, quod ad investigandam veritatem per divinum judicium initur. Et quamvis ante prædicta decreta Tridentini, Greg. XIII. & Clemen. VIII. locutus sit. At hæc decreta eildem terminis duelli, & monomachiæ, quibus, & jus antiquum, utuntur. Favet etiam *Mascardus de probat. in proœmio q.* 4. *n.* 7. Ubi referens probationem per duellum, at hodie reprobatam esse per Tridentinum, & Pontifices. Atque ita videtur ea decreta intelligere de duello, quod ad veritatis probationem assumitur. Et hanc partem tenent *Emmanuel Sà in summa, verbo Excommunicatio, ubi de excommunicationibus nulli reservatis, n.* 14.

24 Cæterùm dicendum est, loqui omnia prædicta decreta de duello quovis ex condicto inito, designato certo loco, & tempore, sive ad eruendam veritatem, sive ad vindictam sumendam, sive ad aliam quamvis causam, quæ ipsum non reddat licitum. Et quamvis decretum Tridentini de solo solemni egerit: jam Greg. XIII. & Clem. VIII. id decretum ad duella privata extenderunt. Ut diximus *n.* 22. Ducor ad hoc ex ratione tradita in initio illius decreti Tridentini, quæ causam finalem importat, ibi: *Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, &c.* Et Gregor. XIII. ac Clemens VIII. extendentes ad privata duella eam reddunt rationem, quòd ex illis non minora damna, & homicidia sequantur. Quare clarè denotant sermonem esse de duellis, quæ in usu frequenti sunt, & gravia damna afferunt. At duella ad eruendam veritatem nullatenus sunt in usu, & numquam, aut rarissimè contingunt, ac proinde ea damna non afferunt. Atque mirum Tridentinum, & tot Pontifices tam gravibus pœnis, & tam acriter rem insolitam interdixisse. Cum ea ut legis natura, ut ea, quæ frequenter accidunt, spectet, *l. Nam, adea* 5. *ff. de legibus*. Et idem constat ex motu proprio Pii IV. relato *n.* 19. ubi sic ait: *Duellum, aut singularia certamina*. Et ex motu proprio Clem. VIII. relato *n.* 21. ubi sic ait: *Miles, qui in bello publico, & forsan jusso indicto contra alterum adversarii exercitus ob privatas inimicitias ex condicto ad singulare certamen descendit*. Ubi uterque Pontifex clarè loquitur non de solo duello propriè, sed etiam de singulari certamine. Et Clem. VIII. expressit etiam, quando ob privatas inimicitias initur. Prò hac sententia est *Sylvester verbo Duellum, qu.* 1. ubi ait quoties ex causa non rationabili initur duellum, prohiberi jura naturali, & positivo aliquas superaddente pœnas, quamvis ex se non sit illicitum, sed defectu causæ justæ. Sentit ergo ius positivum non solùm duellum causa eruendæ veritatis, quod de se est semper illicitum, pœnis afficere. Sed etiam alia certamina singularia, quando ex causæ justæ defectu illicita sunt. Et *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *qu.* 17. *puncto* 1. *in fine*, nam postquam de omnibus duellis ex quavis causa illicitis toto illo puncto egerat, concludit hujusmodi duellis graves pœnas in Tridentino indictas esse. Et *Toledo l.* 4. *summæ c.* 6. *n.* 32. nam propositis casibus, in quibus duella licent, concludit reliqua esse illicita; iisque pœnas statuisse Tridentinum. Et *Salon.* 2. 2. *q.* 64. *ar.* 3. *controversia* 3. *post* 2. *conclusionem, in* 1. *ratione prima opinionis*, ubi ait in universum prohiberi duellum in Tridentino: & initio illius controversiæ tres modos proprii duelli retulerat, & primus solus erat, quando ad indagandam veritatem initur. Et *Nav. l.* 2. *de restit. c.* 3. *in* 3. *p. dubio* 13. *in nova edit. n.* 283. propositis casibus in omnibus, in quibus duellum est illicitum, concludit Tridentinum in omnibus iis casibus duello pœnas imponere.

25 Secunda difficultas est, an excommunicatio in Tridentino contenta, sit lata adversùs omnes personas in eo decreto comprehensas? Quidam enim sentiunt solùm esse latam adversus dominos concedentes locum ad duellum: & adversùs alias personas *ibi* contentas, esse ferendam. Quia ubi agitur de excommunicatione dominorum, ponitur dictio, *Eo ipso*, quæ excommunicationem ipso facto incurri denotat. Ubi autem agitur de pugnantibus, & patrinis, solùm sic dicitur. *Excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis pœnam incurrant*. De consulentibus autem, & spectantibus duellum, sic dicitur. *Excommunicationis, & perpetua maledictionis vinculo teneantur*. Quare cum non addatur dictio, *Eo ipso*, sicut in prioribus verbis; & verba, *Incurrant, & Teneantur*, sint imperativi modi, non videntur importare sententiam latam sed ferendam. Ita docent *Navarra l.* 2. *de restit. c.* 3. *in* 2. *p. dubio* 13. *in nova editione n.* 283. *Manuel.* 1. *t. summæ, in* 2. *editione c.* 73. *nu.* 3. Qui etiam post motum proprium Gregor. XIII. loquitur, dicens solos dominos excommunicationem incurrere. Quippe is motus proprius nil aliud fecit, quàm pœnas in Tridentino statutas contra duella solemnia extendere ad privata.

26 At *Suarez quinto tomo in* 3. *p. disput.* 23. *sect. ultima, nu.* 11. jure optimo dicit certum esse in has omnes personas contineri excommunicationem latam. Tum, quia Gregor. XIII. in eo motu proprio, in principio ait Tridentinum in eas omnes excommunicationem decrevisse; ubi cum æquè loquatur de excommunicatione indicta contra omnes eas personas, clarè sentit esse latam in omnes. Secundò, quia verba illa, *Incurrant, & Teneantur*, etsi futuri sint, non tamen diriguntur ad judicem, nec ejus actionem exigunt, sed ad ipsum reum, qui per efficax imperium ligatur. Nam verbum, *Incurrant*, juxta communiorem, ac veriorem sententiam est latæ sententiæ. Ut potest videri in *Tiraquello*, *l. Si umquam, verbo Revertatur, num.* 145. *& duplici sequenti, versic. Quadragesimo septimo, C. de revocand. donat.* Et ita hanc excommunicationem tamquam latam in omnes eas personas referunt, *Navarr. summa Latina c.* 27. *n.* 150. *Delrius, lib.* 4. *disquis. magic. c.* 4. *q.* 4. *sect.* 2. *Toledo lib.* 5. *summæ c.* 6. *nu.* 32. *Emmanuel Sà summa, verbo Excommunicatio, ubi de excommunicationibus nulli reservatis n.* 14. *Graffis* 1. *p. decisionum, l.* 4. *cap.* 23. *n. ult.*

27 Tertia difficultas est. An hæc excommunicatio reservata sit? *Delrius, Graffis, & Emmanuel Sà, n. praced.* allegati, dicunt non esse reservatam; & scripsere post motum Gregorius XIII. Quia nec Tridentinum, nec Gregorius XIII. eam reservant. At *Navarr. l.* 5. *consil. in utraque editione, tit. de purgat. vulgari, consil.* 2. *in fine, & Manuel.* 1. *t. summæ, in secunda editione, cap.* 73. *num.* 3. *Salzedo in addit. ad practicam Bernardi Diaz in novissima editione c.* 100. *ad finem*, dicunt esse reservatam. Quia Pius IV. in motu proprio relato *n.* 19. loquens de duello solemni eam excommunicationem reservavit. Et Gregor. XIII. in quibusdam verbis sui motus proprii, quæ *Nav. ibi* refert, extendens ad duella privata, decrevit ea subjacere pœnis, & excommunicationi impositis à Pio IV. Cum ergo ab illo sit reservata in duellis solemnibus, & eadem excommunicatio extendatur ad privata, erit quoque in privatis reservata. At in solemni duello clarum est esse reservatam per illum motum proprium Pii IV. quamvis virtute Tridentini non erat reservata. At in privatis non invenio ea verba à *Navarro* relata in motu proprio Gregor. XIII. sed solas Tridentini pœnas confirmat: & ideò virtute illius non est reservata in duellis privatis. Sed jam (ut vidimus *n.* 21.) Clemens VIII. in suo motu proprio reservavit etiam in duelis privatis; & decrevit virtute nullius privilegii concessi, quibusvis personis cujuscumque status, posse hujus excommunicationis absolutionem concedi. Quare nullus religiosus potest virtute suorum privilegiorum concedentium omnes casus Papæ ab illa absolvere. Si tamen delictum occultum sit, nec deductum ad forum contentiosum poterit Episcopus toties, quoties incursa fuerit, absolvere, virtute *Tridentini sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Quippe is motus proprius non abrogat hoc decretum; cum nullam illius mentionem faciat. Poterit etiam confessarius electus per bullam cruciatæ absolvere semel in vita, & semel in mortis articulo ab ea excommunicatione. Quia cum bulla quotannis publicetur, & ab eodemmet Pontifice concedatur, non est verisimile ejus intentionis esse, privilegium bullæ tollere concedens semel in vita, & semel in mortis articulo absolutionem ab omnibus casibus Papæ reservatis. Sæpè etiam ob excommunicationis hujus ignorantiam exculabuntur ab illa ineuntes duella privata.

28 Ex dictis deducitur incurrere hanc excommunicationem, nisi ejus ignorantia excusentur, qui causa pugnandi dicunt, *veni ad talem locum, te ibi expecto*. Nam hi certum tempus constituunt, nempe, illud ipsum præsens, sicut si cras tinum constituerent; & est duellum ex condicto, idest, ex pacto invicem inito. Condictum enim id significat. Quæ sunt conditiones petitæ in motibus propriis relatis *n.* 20. & 21. Et ita tenet *Delrius nu.* 26. alleg. Intellige tamen;

quando duellum secutum est. Quia Gregor. XIII. solos socios excommunicat, etiamsi duellum non sequatur. (Ut *n.* 31. dicemus.) At de provocantibus ad duellum dicit: *Qui monomachiam commiserint*. Non dicitur autem commisisse provocans, quando effectus pugnæ non est subsecutus. Similiter incurreret, qui ab aliquo injuria affectus, videns illum ense carere, ei sic diceret, *abi, affer ensem, hic te expecto, vel in tali loco*. Quia jam destinatur tempus, & locus. Quare secuto duello uterque incurreret. At non incurreret dicens offendenti, *distringe ensem, ut pugnemus*. Quia id non est propriè designare locum. Id enim importat quando ex consilio, idest, *acuerdo* destinatur locus. Similiter non incurreret offensus, qui videns inimicum esse in Ecclesia, aut in loco sibi periculoso, eò quòd alter habeat ibi adjuvantes amicos, aut conjunctos, aut famulos, diceret, *exi inde*, non destinans locum, nec ad liberiùs pugnandum, sed fugiens loci sacri irreverentiam, aut suum periculum. Quia id non est propriè destinare locum pugnæ, nec ea provocantis intentio est; sed tantùm intendit irreverentiam, aut periculum cavere. At quando inimicus esset in loco publico, ut in platea, & ob id peteret alter inde ad pugnam exiri; quia in eo loco non possunt liberè pugnare, ob circumstantes, qui statim ipsos in mutuam gratiam revocabunt, incurreret utique uterque, si exiret ad pugnam, eaque secuta esset. Quia id est verè designare locum, nempe, extra plateam illam, causa liberiùs pugnandi. Exigitur autem, ut non in rixa, sed præmeditatè invitatio ad pugnam fiat. Quia hoc est ex conflicto invitare ad pugnam. Ita docet *Farinacius cons.* 9. *in fine, vel,* 1. dicens se ita sæpè obtinuisse.

29 Nec incurreret Princeps Christianus, qui duobus infidelibus concederet in suo regno locum ad duellum. Quia Tridentinum expresè dicit inter Christianos. Ita *Delrius n.* 26. alleg. Secùs crederem, si Christiano pugnaturo cum infideli, Quia jam concedit locum duello Christiani. Quod clariùs constat ex motu proprio Clementis VIII. relato *n.* 21. qui inter personas sub ea excommunicatione comprehensas numerat militem Christianum ob privatas inimicitias duellum cum contrariæ factionis milite ineuntem.

30 Nec etiam incurrit princeps hæc duella inter Christianos permittens, quando permittere in casu extraordinario opus esset ad vitanda majora mala, & scandala. Quia licèt princeps semper peccet assensum his duellis præbendo, sive ea concedendo, At immunis esset culpæ ea permittendo in eo casu extraordinario. Sicut ob similem causam licet permittere lupanaria. Ut benè docent dicentes, in eo casu licitè permitti duellum *Cajetan.* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *in fin. & in summa verbo Duellum, in fine, & ibi Armill. n.* 1. *Emmanuel Sa n.* 2. *Lyra* 1. *Reg. c.* 17. *Navarr. summa Lat. & Hisp. cap.* 11. *n.* 39. Atque ita tunc non esse locum his pœnis tradit *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 17. *puncto* 1. *in fine*. Quamvis contrarium minùs benè doceat *Salon.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. *controvers.* 3. *concl. ult.* dicens post Tridentinum jam non licere permittere, eò quòd id prohibuerit. At Tridentinum nil de permissione dixit, sed de concessione loci ad pugnam, & licentia ad pugnandum. Et quamvis Greg. XIII. in suo motu proprio (ut vidimus *nu.* 20.) extenderit ad dominos duella permittentes, aut non prohibentes, eam excommunicationem; at clarè intelligitur, quando illicitè permittunt. Nam permissio licita, ac juri naturali, regulisque prudentis gubernationis consona ad prospiciendum bono communi, nec interdicitur, nec pœna, sed præmio digna est.

31 Neque duelli spectatores incidunt, qui illac transeuntes aspicerent obiter duellum. Quia non dicuntur propriè spectatores; atque ita Gregor. XIII. in motu proprio (ut vidimus *n.* 20.) addit, *Ex proposito spectatores*. Nec etiam incurrerent, si subsisterent ad dirimendum duellum. Quia id opus virtutis est, imò sub præcepto, si dirimere commodè possunt. Qua ratione non incurrerent, qui ex instituto comitarentur duellum aggredientes, causa illius impediendi. At incurrerent hi socii, si causa juvandi comitarentur, quamvis non sit ventum ad pugnam, quando conati sunt efficere ut pugnetur; vel saltem si poterant, non impedierint ipsi, sed maluissent pugnam conseri. Quia expresè Greg. XIII. in eodem motu proprio hos excommunicavit etiamsi ad pugnam ventum non sit, quando per ipsos non stetit, quominus veniretur. Hæc omnia docet *Delrius num.* 26. allegatus.

32 Tandem dubitatur, an cæteræ pœnæ præter excommunicationem indictæ in Tridentino, & in dictis propriis motibus, contra comittentes duella, permittentes, concedentes locum, socios, & patrinos, indigeant judicis sententia, ut incurrantur? Et quidem de interdicto, cui supponitur locus, in quo exercentur ex dominorum licentia, per motum proprium Clem. VIII. non est dubium quin ipsæque sententia incurratur. Quia est latæ sententiæ, atque hæc est natura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, quando sunt latæ sententiæ, ut nulla alia sententia indigeant. Ut fateantur omnes. Similiter infamia, proscriptio bonorum, amissio loci, in quo duellum exercetur, clarè petunt judicis sententiam; utpote quæ sunt pœnæ proprio jure acquisito privantes, nec solitæ incurri ante sententiam. Principalis autem difficultas est de inhabilitate ad beneficia obtenta, & in posterum acquirenda, quæ in motu Pii IV. statuitur, (Ut *num.* 19. vidimus.) Nam de privatione beneficiorum obtentorum, quam *ibi* quoque statuit, multo certius est, eam non incurriante sententiam, ob rationem proximè dictam. De inhabilitate autem est ratio dubitandi, eò quòd sit pœna privativa nullo jure quæsito privans, sed solùm jus quærendum impediens; ac proinde nullam judicis executionem desiderans; instar excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Item, quia motus proprius dicit, *eo ipso incurrant inhabilitatis pœnam*. Atque ita nullam desiderari sententiam ad inhabilitatem incurrendam tradunt *Sotus lib.* 1. *de just. quæst.* 6. *artic.* 6. *post* 4. *conclus. versic. Ex hac autem, Corduba in suo quæst. libro* 1. *quæst.* 36. *paulo post principium, & in solut. ad* 7. *versic. Secundum etiam dictum, & versic. Ideo ad* 7. *Mexia taxa panis, concl.* 6. *num.* 108. *Metina* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 4. *Manuel. primo tomo summæ, in* 2. *editione capite* 195. *num.* 2. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *folio* 350. *columna* 2. *versic. Ad aliud de statutis, Salon.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *in fine*. At satis probabile est exigi sententiam judicis declarantis crimen. Quia ea particula, *eo ipso*, id tantùm importat, ut non exigatur sententia condemnans. Ut diximus *hoc* 2. *l. c.* 22. *nu.* 26. Deinde, quia non omnes sententiæ privativæ nullam judicis executionem petentes incurrunt absque ulla sententia; sed id peculiare est in excommunicatione, suspensione, & interdicto. (Ut probavi *l.* 9. *de matr. disp.* 30. *n.* 2. Tandem, quia est pœna valde acerba; & ita per epiKejam excipienda est à regula pœnarum privativarum. Et quamvis irregularitas sit rigidior, usu tamen receptum est, ut nullam judicis sententiam requirat. Quod non ita receptum reperitur in pœna inhabilitatis ad officia, & beneficia. Atque ideò ita tenent *Navarr. de datis pro justitia, vel gratia, n.* 44. *Molina to.* 1. *de justit. disput.* 69. *pag.* 590. Atque in simili de inhabilitate incursa ob aliquod delictum à scholasticis ad suffragium præstandum, tradunt *Sotus libro quarto de justitia, quæstione* 6. *artic.* 3. *ad finem, Ledesma* 2. *parte quarta, q.* 28. *ar.* 2. *dubio ultimo*.

## CAPUT XL.

### De ultima superstitionis specie, quæ vanæ observantiæ dicitur.

SUMMARIUM.

*Quid sit superstitio vana observantia? n.* 1.
*In quo ejus malitia consistat? n.* 2.
*An in consecutione effectus per vanas observantias, interveniat semper pactum cum dæmone? Et quatupliciter hoc sit expressum? Et an contingat homine ignorante, & præter ejus intentionem, ac nullo pacto inito cum aliquo mago? n.* 3.
*Qualiter dæmon concurrat ad effectus magorum? n.* 4.
*An possit dæmon vera miracula facere? n.* 5.
*Qualiter ministerio dæmonis stryges deferantur de loco in locum? num.* 6.
*An possint ope dæmonis corpus penetrare, aut in duobus locis esse? Et verissivè, quæ possit, aut an possit dæmon? n.* 7.
*Quando effectus speratus non superat potestatem dæmonis, an sit superstitio? Et quid si non superat vim causæ adhibitæ, sed modus est vanus? n.* 8.
*Ex quibus dignoscatur hæc superstitio? n.* 9.
*An reddat eam licitam experientia successus subsecuti? n.* 10.
*Quotuplex sit superstitio vana observantia? n.* 11.
*Quale peccatum sit? n.* 12. & 13.
*Post num.* 13. *invenies alia summaria*.

1 SUperstitio vanæ observantiæ dicitur, ut colligitur ex *D. Thom.* 2. 2. *quæstione* 96. *articul.* 1. & 2. ab omnibus recepto, cum mediis inutilibus, & à divina providentia minimè constitutis, procuratur aliquis effectus. Ut consequi aliquod bonum, vel vitare aliquod malum, aut inferre aliquod damnum. Dicitur autem vana observantia, quia vel non consequitur effectum intentum; vel si consequatur, plus noxæ, quam commodi affert. Commodum enim est in rebus corporeis, & temporalibus, detrimentum vero est animæ. Quare differt à divinatione, quòd divinatio ordinetur ad solam occultorum cognitionem indebito modo comparandam, vana autem observantia ad effectum externum tendat, ut ad aliquid obtinendum, aut vitandum.

2 Hujus autem superstitionis malitia in eo consistit, quòd creaturæ quodammodo divinus honos tribuatur, expectando ab ea mediis inutilibus, & inefficacibus, nec à Deo constitutis, effectus à Deo expectandos per media, quæ ipse constituit. Item, quia innititur pacto expresso, vel tacito cum dæmone. Ut *n. sequenti* dicemus. Atque in eo malitiam divinationis sitam esse diximus *c.* 38. *n.* 2.

3 Ante tamen quàm ad hujus superstitionis species explicandas descendamus, oportet aliquot fundamenta præmittere. Primum est. Consecutio horum effectuum per vanas observantias, auxilio dæmonis, sive expresè, sive tacitè invocati semper innititur; ac proinde pacto expresso, vel tacito cum ipso. Ut dixi in simili de divinatione *c.* 38. *nu.* 3. ubi, & rationem reddidi. Atque ita docent *D. August. l.* 21. *de Civit. Dei c.* 6. *D. Th.* 2. 2. *q.* 96. *a.* 2. & *opusc.* 25. Contingit autem pactum expressum dupliciter. Primò, dum verbis invocatur dæmon. Secundò, facto ipso, quando, nimirum, quispiam sciens dæmonem per id medium vanum operari, illud usurpat. Ita docet *Val.* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 13. *punct.* 1. *in fine*. Et diximus alios referendo idem de divinatione *cap.* 38. *nu.* 3. Et sicut diximus *ibi n.* 4. & 5. contingit pactum tacitum cum dæmone, seu ejus tacita invocatio, & auxilium etiam homine ignorante, & præter ejus intentionem; atque nullo expresso pacto inito cum aliquo mago.

4 Secundum fundamentum est. Quatuor modis concurrere solet dæmon ad effectus magorum, qui nobis mirabiles apparent. Quos recensent inter alios *Cajet.* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 3. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 12. *puncto* 3. *Pereira de magia, l.* 1. *c.* 17. Sed latiùs, quàm alii, & exemplis, & variis testimoniis illustrans *Delrius l.* 2. *disquisit. magic. q.* 8. Primo modo objiciente dæmone sensibus vera corpora, sive aliunde occultè, & celeriter asportata, sive per occultam activorum, & passivorum applicationem à se conflata. Cum enim Angeli tanta sit in movendis corporibus virtus, ut cœlos celerrimè moveat, nullum adeo vastum erit corpus, quin id dæmon quadam impulsus impressione loco velocissimè movere valeat. Quare potest rem aliquam oculis subtrahere, & aliam tam properè substituere, ut animos oculosque intuentium fallat, atque prioris in hanc posteriorem, conversionem integram persuadeat. Quare mirabilia sæpè dæmon efficit, quorum naturales sunt causæ. Quippe naturalium omnium vim, & proprietates singulares perspectas habet, commodaque applicandi tempora novit. Atque ita sæpè fiunt multa, quæ naturæ solius operatio numquam fecisset, nisi artificiosa dæmonis applicatione adjuvante. Et tunc dæmon agentia naturalia ut instrumenta sumit. Instrumenti autem ea est conditio, ut præstantiorem, aut minùs præstantem effectum producat juxta præstantiorem, aut minùs præstantem illud moventis artem. Ut securis ex se dumtaxat vi secandi gaudet; at verò ut peritissimi fabri instrumentum mira construit. Sic causæ naturales à dæmone applicatæ, & ut illius instrumenta producunt admiranda quo ad substantiam, modum, & celeritatem, quæ secundùm suum modum numquam produxissent. At hæc opera non sunt supra earum causarum naturam. Quia vis naturalis hæc producendi inest his causis naturalibus sic applicatis. Nec dæmon eas applicando aliquid virtutis illis confert, sed solo artificioso, & peculiari modo applicat. Quod est conditio, sine qua non ii effectus producerentur. Ut optimè explicant *D. Th.* 1. *q.* 110. *art.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *contra gentes* 103. Atque ita juxta *D. Aug. lib.* 3. *de Trinit. c.* 7. & 8. & multos alios, quos refert & sequitur *Delrius dict. lib.* 2. *q.* 6. magi Pharaonis *Exodi* 7. ope dæmonis veros serpentes apparere fecerunt; vel auferente dæmone clam magorum virgas, & aliunde asportante serpentes ita celeriter, & occultè, ut videntes crederent virgas in serpentes conversas. Vel potuit dæmon brevissimè efficere, ut virgæ illæ putrefierent, & ex illis putrefactis serpentes illi producerentur; utpote qui ex putrefactione generantur. Nam quod solis calor multis diebus efficere potuit, id dæmon exiguo tempore potest, applicando activa, quæ ad hoc efficaciora novit. Secundo modo, objiciente dæmone occultè phantasticas corporum similitudines, quæ vera corpora apparent. Sicut juxta alios illi serpentes non erant veri; sed apparentes. Tertio modo nec vera corpora, nec corporum similitudines objiciente dæmone sensibus externis, sed illis illudendo, ita ut homo se videre exteriùs credat, quod nec videt, nec extat. Quod dæmon operatur commovens humores, qualiter id humorum corruptio in phrenticis, & somniantibus operatur. Vel potest id fieri, si dæmon virtute alicujus rei naturalis occulta spectantium oculos ita inficiat, aut perturbet, ut videatur illis esse, quod non est, vel non esse, quod est. Sicut æger ob palati corruptionem dulces cibos judicat amaros. Quarto modo solet contingere dæmone sensibus interioribus illudente, absque alienatione à sensibus externis, ordinante dæmone varia phantasmata interiora, & commovente spiritus. Vel cum alienatione à sensibus exterioribus, per quamdam corporis alterationem, & unctionem. Quod strygibus, sive lamiis contingere solet. Quæ aliquando alienatæ omnino manent à sensibus, atque instar defunctarum in terram corruunt, ita ut admotum ignem non sentiant; & sola animi cogitatione, & diabolica illusione in alia loca feruntur. Ut de quadam stryge narrat *Abulens. c.* 13. *Genesis quæst.* 354. An tamen ita in strygibus contingat, vel aliquando verè corporaliter ferantur dicemus *num.* 6.

5 Hinc deducitur, magos non posse facere vera miracula arte dæmonis, & ejus virtute; etsi mira quædam efficiant, quæ in admirationem spectantes inducunt, eò quòd causa illorum occulta eos lateat. At vera miracula nequaquam sunt, cum agentium naturalium virtutem non excedant. Quod optimè docent *Victoria de magia qu.* 13. *n.* 18. *Delrius lib.* 2. *disquis. magic. q.* 7. *Salmeron. t.* 6. *suorum operum, tractatu* 1. *vers. Neque obstat*.

6 Quamvis autem nonnulli, quos refert *Delrius lib.* 2. *disquis. magicarum, q.* 16. teneant nocturnos strygum conventus esse imaginarios, nec alia in loca ipsas verè transvehi, sed sola cogitatione, & diabolica illusione, illis conventibus interesse, illucque transferri. Atque probant ex *Concilio Ancyrano* relato *c. Episcopi* 26. *q.* 5. ubi tamquam hæretici condemnantur credentes stryges verè transferri de loco in locum. Et proinde *Navarr. summa Latina c.* 11. *n.* 38. *vers.* 32. & *Manuel.* 1. *tomo summæ* 2. *editione c.* 7. *nu.* 9. ajunt peccare mortaliter id credentes. Quod etiam suadetur, quia conventus illi subitò pronuntiato nomine Jesu interdum evanescunt. Quod fieri non posset, si vera esent corpora. Sed quamvis sæpè accidat sola imaginatione deferri, ut *n.* 4. explicuimus non tamen negandum est, nonnumquam verè transferri à dæmone de loco in locum. Quod docent *Cajet. & Valentia, n.* 4. allegati, *Sylvester, Castro, Penna*, & alii quos referunt, & sequuntur *Suar. to.* 1. *de religione, libro* 2. *de superstitione, c.* 16. à *n.* 24. *Leonardus lib.* 2. *de justitia, c.* 44. *dubio* 3. *n.* 15. & 16. *Delrius ea q.* 16. *Azor. tomo* 1. *lib.* 9. *institutionum moralium, c.* 25. *qu.* 3. Explicat autem *Delrius* lamias has de loco ad locum vehi in dæmone in forma hirci, vel alterius animalis, vel in arundine vera, aut vero scoparum baculo equitantes, quæ à dæmone aguntur, & sublevantur; atque adeò tunc conventibus nefariis verè corporaliter interesse. Et ad textum in contrarium adductum respondent benè *Delrius, Azor, Suar, Leonardus*, eum intelligi de credentibus cum illis modis in eo textu narratis: nempe, ut hujusmodi lamiæ conviventur cum dea Diana, & cum dea Herodiade, &c. Ad alteram etiam rationem respondet benè *Delrius*, lamias non subitò tunc evanescere, sed præstrictis intuentium oculis à dæmone celerrimè asportari; & sic dici evanescere, idest, desinere videri.

7 Non possunt tamen ope dæmonis corpus penetrare, nec esse in duobus locis. Ut benè probat *Delrius eo l.* 2. *qu.* 17. qui *toto eo libro* videndus est, ubi latissimè disputat quid possint, aut non possint magi virtute dæmonis efficere. Quare dum intrant domos reseratas lamiæ ad pueros necandos id non est penetrando januas, sed dæmone eas aperiente, & obstacula removente. Ut benè docet *Toledo lib. quarto summæ c.* 16. *in fine*. Vel potest dici eas à dæmone vectas per aerem, per domata ingredi domos.

8 Tertium fundamentum est. Quando effectus speratus per media illa vana superat dæmonis potestatem, aut mortui resurrectio, sanatio veræ cæcitatis, & quodcumque verum miraculum, est verè, & propriè superstitio vanæ observantiæ. Quod tunc effectus solius Dei proprius expectetur à dæmone; ac proinde honos soli Deo debitus ad dæmonem transferatur. At quando vim dæmonis non excedit, utpote qui potest ab ipso applicante activa passivis produci, est gravissimum peccatum, propter commercium cum dæmone. Non tamen erit verè, & propriè superstitio. Quia tunc nil Dei proprium tribuitur dæmoni. Atque ita docent *Sayro in clavi regia, lib.* 4. *c.* 6. *n.* 1. *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *qu.* 13. *puncto* 1. Sed centrarium est dicendum. Sicut de divinatione diximus *c.* 38. *n.* 9. Insuper, quando causa adhibita est sufficiens ad effectum, at modus est vanus, non est propriè superstitio, sed tacitum cum dæmone pactum. Ut docet *Valentia ea, quæst.* 13. *punct.* 2. *colum.* 5. *versic. Primò igitur*. Sed contrarium magis placet. Quia id probavi *c.* 38. *n.* 3. & 9. Quare tunc ut benè ait *Delrius lib.* 3. *disquis. magicarum p.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 1. *in fine*, non erit vana observantia ex parte effectus sperati; sed erit vana ratione alicujus vitiosæ circumstantiæ. Ut cilicium, flagellatio, jejunium, eò quòd corpus affligunt, vim habent ad ejus concupiscentias coercendas; sed si addantur circumstantiæ ad id non conducentes, ut certa hora, definitus numerus, ita ut nec excedere, nec minuere liceat, vel ut fiat hac, aut illa manu, vel flagro sirico, & aliis hujusmodi, erit vana observantia ex parte circumstantiæ.

9. Quartum fundamentum est. Superstitio vanæ observationis duplici ex capite cognosci potest; nimirum, aut ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum intentum; vel ex circumstantia inutili, & vana adjuncta. Quare quoties causa adhibita ad bonum aliquod consequendum, aut malum fugiendum, non habet ad id virtutem naturalem, nec de supernaturali legitimè constat, censendum erit opus superstitiosum, & ex tacito cum dæmone pacto effectum intentum comparari. Et idem erit, quando licet causa sufficiens sit, adhibetur tamen vana aliqua circumstantia tamquam necessaria. Ut diximus *n. præcedenti*. Et ita ex mente *D. Th.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. 3. & 4. breviter, & optimè docuit *Nav. summ. c.* 11. *Hispanè, n.* 22. & *Latinè n.* 25. *Cirvelo de superstit. p.* 1. *c.* 2. Et constabit ampliùs ex dicendis *n.* 44.

10 Quintum fundamentum est. Non reddit licitam hanc superstitionem experientia successus effectus per illam intenti. Ut de divinatione probavi *c.* 38. *n.* 11.

11 Ultimum fundamentum est. Superstitio vanæ observationis est duplex. Quædam, in qua est pactum expressum cum dæmone. Altera verò, in qua implicitum, & tacitum. Illa est, ut benè ait *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. *punct.* 1. quando quis à dæmone expresè invocato, aut in commercium adducto, aliqua incognita media addiscit, quæ naturales causæ sunt ad effectus producendos; vel quibus applicatis dæmon occultè effectum operatur. Et jam *n.* 3. explicuimus dupliciter contingere hoc pactum. Hæc autem contingit, quando prædicta invocatio non est; at adhibet quis ad effectum comparandum media, quæ ad id inutilia, & vana sunt. Atque posterior est triplex. Ut benè colligit *Valentia, eo punct.* 1. *ex D. Th.* 2. 2. *tota quæst.* 96. Prima est, quando alicujus calamitatis, vel prosperitatis præcognitio per vanam divinationem procuratur, ut ea cognitione homo edoctus aliquid faciat, vel vitet. Secunda est, quando adhibentur preces, vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus vanis aliquibus circumstantiis, ex